



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An Clericus beneficiatus possit, propriâ auctoritate sine consensu Superioris, beneficium resignare?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

admittunt, ut prax' docet, & videri potest in *Bulla Pii 5. quanta Ecclesia*, quæ legi potest apud *Quarantam in summa Bullarii V. beneficiorum resignationes*, ex quibus causis admittere possunt Episcopi resignationes, ita tamen, ut resignans Clericus aliunde habeat, quo vitam honestè sustentare possit, & cum expressa prohibitione, ne taliter resignata beneficia, suis, aut resignantis consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, conferant Episcopi; quæ tamen cautio, ad multas quidem fraudes cavendas utilis, in nostris partibus vix obligare videtur.

## SECTIO V.

*Coram quo superiore, & cuius Auctoritate renuntiatio beneficiorum facienda est, & admit-  
tenda.*

## §. I.

*An Clericus beneficiatus possit, propria Auctoritate sine consensu superioris, beneficium resignare?*

Quod non possint Clerici beneficiati, pro suo arbitratu, beneficia, quæ Canonicè obtinuerunt, & quorum collatio, confirmatio, aut institutio illis jam facta fuit, dimittere sine Episcopi consensu, cuius Auctoritas admittentis resignationem intervenire debet, clarè patet ex *c. admonet 4. h. t.* ubi sub pœna excommunicationis hoc prohibetur, ut ne scilicet fiat aliquid in præjudicium superioris; & quamvis aliqui probabiliter

putent, hoc intelligi non debere de beneficio litigioso, quod in favorem colligantis cedere quis potest, cum in tali renuntiatione nullum videatur fieri superiori præjudicium, contrarium tamen etiam probabile est, cum prohibitio loquatur universaliter, & Ecclesiæ interfit, etiam hanc renuntiationem scire, & hinc etiam Clericus criminofus, qui quidem ipso facto beneficio suo excidit, si tamen titulum coloratum & putativum, ac possessionem beneficii retineat, debet coram superiore legitimo renunciare, non quidem titulum, & jus verum in beneficio, quod nullum amplius habet, sed titulum putativum, & possessionem; qui modus, ut in superioris manibus dimittatur beneficium, in eo casu etiam locum habet, quo per pacificam adeptionem secundi beneficii cum priore incompatibilis, prius ipso jure vacat, juxta *c. de multa de prebend.*

## §. II

*An renuntiatio beneficii facta, sine superioris Auctoritate, sit valida?*

Coram Laico, quamvis Patronus ille sit, aut regiâ dignitate præfulgeat, facta renuntiatio irrita est *c. quod in duobus 8. h. t.* cum Laicus non sit legitimus in causa spirituali beneficiorum superior; & licet resignatio talis coram Laico facta, nulla sit, resignans tamen taliter suo beneficio, spoliandus esse dicitur (si iterum de manu Laica illud recepit) in pœnam scilicet attentatæ hujus renuntiationis coram Laico faciendæ, si tamen sponte, & non coactè resignationem hanc fecit: quod si tamen resignatio beneficii